



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus IX. De Apostatis & reiterantibus Baptisma

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



TITULUS IX.

De Apostatis & reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1. Apostasia triplex est.
2. Prima à Fide Christiana:
3. Quà omnes Hæreticorum pœna con-
trahuntur.
4. Altera à Religione: quâ ista post
Professionem,
5. Sine proposito redeundi,
6. A vero Religioso & sine superioris li-
centia,
7. Perpetuò deseritur,
8. Etiam animò transeundi ad aliam
Religionem,
9. Saltem in Societate Jesu.
10. Ejus pœna sunt excommunicatio,
11. Suspendio à sacrorum Ordinum usu
&c.
12. Tertia ab Ordine sacro:
13. Quâ isò initiatus transit ad statum
Laicalem.
14. Ejus pœna sunt excommunicatio,
15. Infamia, irregularitas,
16. Et amissio privilegij Canonici.
17. Pœna reiterantium Baptisma,
18. Et clericorum rebaptizanti minis-
trantium.

1. **A**postasia Græca vox Desertio-
nem denotat seu Defectionem.
Ab ea Apostata hoc locò di-
cuntur Christiani, qui à Deo,
aliquò ex tribus modis mox referendis, teme-
rè recedunt; est enim Apostasia tri-

plex. Una Perfidia, altera Obedientia,
postrema Irregularitatis, Glossa in c. 1.
V. Apostasia, ubi Ant. Butrio n. 4. Sylvester
V. Apostasia, n. 1. & Farinacius Prax. Cri-
minal. q. 183. n. 5.

Perfidia, sive à Fide Apostasia est 2.
Omnimoda desertio Fidei Orthodoxæ,
susceptæ in Baptismo; ac proinde com-
mittitur, cum quis à Fide Christiana tran-
sit ad Judaismum vel Paganismum, l. 1.
l. Si quis 2. C. de Apostat. & can. Beatus 3.
q. 4. c. cit. Butrio n. 4. Sylvester n. 1. &
Farinac. n. 13.

Differt ab Hæresi; quòd per hanc à
Christiana fide solum ex parte, sive ab a-
liquibus ejus articulis, aliis retentis: per
Apostasiam autem in totum, sicut ad Pa-
ganismum: vel saltem ab iis, qui in Chri-
stum sunt, ut ad Judaismum transeundò
contingit, Catholicæ fidei articulis omni-
bus recedatur, Sanchez Lib. 2. Moral. cap.
7. n. 16. & Laiman Lib. 2. traç. 1. cap.
16. n. 2. Quare omnis Apostata Hæreti-
cus: non vicissim omnis Hæreticus Apo-
stata: & Apostasie peccatum gravius est
Hæresi, quam includit; eamque ob cau-
sam excommunicationis cæterisque in
Hæreticos Jure constitutis pœnis omni-
bus Apostata: & quibus Hæreticorum,
iisdem etiam Apostatarum fautores, re-
ceptatores & defensores obnoxii sunt, ex
decisione Bonifacii VIII. c. Contra 13. de
Hæreticis in 6. & communi sensu omni-
um Juris Pontificii Interpp. ac DD. alio-
rum, teste

P

rum, teste

rum, teste *cit.* Sanchez *n. 18.* Azor *p. 1. Instit. Lic. 7. cap. 22. q. 2. & cit.* Farinac. *num. 19.*

4. Obedientiæ, sive à Religione Apostasia est Omnimoda defectio sive temerarius recessus à statu Religioso, per professionem aut vota Religionis substantialia inuito, sine proposito redeundi, vel cum proposito non redeundi, Sylvester *V. cit. q. 4. n. 9.* Lessius *de J. & J. cap. 4. n. 109.* & Sanchez *Lib. 6. cap. 8. n. 2.* sive habitus religiosus abjiciatur, sive retineatur; sicut enim Monachum non habitus assumptio, sed Regulæ Monasticæ professio facit, *c. Porrectum 13. & c. Ex parte 22. de Regular.* sic, ut à Religione temerariè & sine redeundi, vel cum non redeundi animo recedens Apostata non sit, habitus retentio sola non operatur, ut cum *citt.* Sylvestro & Lessio docent *cit.* Sanchez *n. 4.* & Laiman *Lib. 2. tract. 1. cap. 16. n. 2. V. Porro.* Unde

Infertur primò, verè Apostatam, & Apostatarum pœnis obnoxium esse, quicumque post edita Religionis vota substantialia, non Solennia duntaxat, ut in cæteris Religionibus: sed Simplicia quoque, ut post expletum Novitiatus biennium in Societate JESU sit, ab ea temerè sine redeundi, vel cum non redeundi animo seu proposito recedit, ut à Gregorio XIII. *Constitut.* quæ incipit *Ascendente*, editâ *10. Septemb. 1558.* est declaratum, & tradunt *cit.* Sanchez *n. 6.* & Suarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 2. n. 6.* Secundò, saltem in foro conscientie eum etiam, qui ab hac vel alia Religione post edita ejusmodi vota, non redeundi animò recedit: quantumvis pœnitentiâ ductus non multò post revertatur, Tamburin. *Tom. 3. de Jure Abbat. disp. 8. q. 1. n. 2.*

Infertur secundò, verum à Religione Apostatam, & in hunc Jurè constitutis pœnis obnoxium non esse

Primò eum, qui post Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ vota ex devotione edita, recedit à Novitiatu; quia per ejusmodi vota non evadit Religiosus, ut advertunt *citt.* Sanchez *n. 6.* & Tamb. *n. 3.*

Secundò, Ursulinas quasdam, Anglicanas & similes devotas fœminas, quæ post expletum probationis annum & edita eadem tria vota à statu suo temerè & perpetuò recedunt; quia neque earum status vera & à sede Apostolica approbata Religio est, neque ipsæ veræ Religiosæ, *citt.* Sanchez *n. 7.* Tamburin. *n. 4.* id Rotæ decisione firmans.

5. Tertio, qui à Religione approbata post edita ejus vota recedit non ipsò factò, sed animò sive proposito ac voluntate, in eâ se perseverare nolle palam profitetur; quia ad Apostasiam, pœnis Jure latis obnoxiam, requiritur factum sive actualis egressus extra septa Monasterii seu domus Religiosæ, Lessius *cit. n. 109.* & Gonzalez *in c. fin. n. 4.*

6. Quarto, qui post eadem edita Religionem non rediturus deserit cum licentia legitimi superioris, Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 8.* uti &, qui non sponte, sed à superiore ob culpam justus aut compulsus vel ejectus recedit, Lessius *l. cit.* & Pirrhing *Rubric. cit. n. 8.*

7. Quintò, à Religione recedit absque licentia, sed animò redeundi, saltem post breve tempus, ut facillè concedunt *citt.* Suarez *cap. 2. n. 14.* & Tamburin. *n. 13.* ita recedentem pro fugitivo: pro Apostata verò eum habentes, qui diu vix, per tres vel quatuor annos extra Religionem manendi animò, recederet; quòd diu extra Religionem versans animum revertendi amisisse præsumatur, & perinde habeatur, ac si eum nunquam habuisset, *l. Qui cum uno 4. §. 13.* junctâ Glossâ *V. Remansores. ff. de Re militari.* Sed hunc quoque non solum in interno, sed, si redeundi

Secundi animum probare valeat, in externo etiam foro non pro Apostata, sed pro fugitivo habendum voluit; ac proinde in illum latis pœnis teneri, cum Claro §. *fin.* q. 78. n. 4. Lessio *cit.* n. 109. & aliis verius negant Farinac. q. 183. n. 63. & Palao *Tract.* 16. *disp.* 4. p. 16. n. 4. id defu- mentes ex definitionibus Apostatæ supra allatis: & fugitivi, qualem DD. genera- liter quemcunque censent, qui à statu Re- ligioso recedit animò redeundi, teste *cit.* Sanchez n. 2. *in fine.*

8. Sextò, eum etiam, qui non petitiã qui- dem licentiã, sed aliam Religionem in- grediendi animò à sua recedit, verum a- postatam esse, cum Glossa *fin.* *in c. fin.* & Butrio *in c. cit.* n. 2. & Sylvestro *cit.* q. 4. n. 9. negant Rodriguez *Tom.* 1. *Regular.* q. 30. *art.* 1. *citt.* Lessius n. 102. Sanchez n. 8. & apud hunc alii, eã ducti ratione; quòd, licet talis transitus illicitus & irri- tus sit, c. Joannes 5. c. Non est 7. & c. Licet 18. V. *Quocirca, de Regular.* per eum tam- en non omnino recedatur à statu Reli- gioso, quod ad Apostasiam propriè di- citam exigi, voluit.

9. At, licet huic rationi & DD. præ- fertim authoritati multùm tribuant, spe- ctatã tamen verã ratione, etiam sic tran- seuntem pro Apostata habent *cit.* Suarez *cap.* 12. *in n.* 17. & Palao p. 16. n. 7. quòd temerè & perpetuò deserat statum Reli- giosum, quem est professus: quò factò Apostatam reddi voluit. Sed hoc, sicut attentò communi, omnino dubium, ita indubitatum existimo, spectatò Jure spe- ciali Societatis JESU propter *Constitutio- nem* Pauli III. quæ incipit *Licet dictum,* & edita est 15. Calend. Novemb. 1549. quã Præposito Generali facultas concedi- tur *Sic* (aliò, quàm ad Carthusiam) *egres- sos, & alios* (dictione ejusdem qualitatis personam denotante, Barbosa *Ufusreq.* *dict.* 27. n. 3.) *quoscunque Societatis A-*

postatas puniendi: & subjungitur, prædi- ctos Apostatas (ac proinde etiam sic e- gressos) ab eo excommunicari, capi, in- carcerari &c. posse. Simili modo in eos, qui sic à Societate recedunt, tanquam ve- ros apostatas procedi posse, *Constitut.* Pij V. quæ incipit *Equum reputamus*, 10. Cal- end. Febr. 1565. & *Constit.* Gregorii XIII. quæ incipit *Ascendente*, 8. Calend. Jun. 1584. editis exprimitur.

Pœnæ in Apostatas, à Religione de- 10. ficientes, Jure communi statutæ sunt Im- primis Excommunicatio, quæ durante A- postasiã infligi valeat, & in Societate JESU ipsò factò contrahatur, vi *Constitutionis* Gregorianæ, ut advertit Tambur. *cit.* *disp.* 8. q. 9. n. 5. Jure tamen communi ita non incurritur, nisi habitus temerè dimitta- tur. Quò factò eadem incurritur, cum habitus sine vera Apostasia dimittitur so- lò animò vagandi, ex *Constit.* Bonifac. VIII. *c. Ut periculosa* 2. *Ne Clerici vel Monach.* *in 6.* Panormit. *in c. fin. hinc n. 2.* Sylvester V. *cit.* q. 8. n. 11. & alii, quos referunt & sequuntur laudati Suarez *in 3. p. disp.* 31. *f. 6. n. 1.* & Sanchez *cit.* *cap.* 8. n. 20.

Deinde, suspensio ab usu & exerci- 11. tio sacrorum (non etiam minorum) Or- dinum, durante Apostasiã susceptorum: quæ etiam post peractam pœnitentiam &c, si à Papa non dispensetur, perpetuò durat, c. *fin. ubi* Glossa V. *Dispensatione* *citt.* Sanchez n. 21. & Palao p. 16. n. 12. quibus locis hujusmodi apostatis ad su- periores Ordines ascensum interdicti, uter- que docet cum Panormit. *in c. fin. cit.* & Suarez *f. 6. n. 3.* quòd majora prohibita intelligantur ei, cui verita sunt minora, c. *Cum illorum* 32. §. *Primo, de Sent. ex- communicat.*

Tertia est amissio omnium privile- giorum suæ Religionis, in Obedientiæ Apostatas (sed habitum duntaxat temerè dimittentes) constituta à S. Synodo Tri- dentina

dentina *Sess. 25. cap. 19. de Regular.* ad quam tamen sententiam criminis declarationem exigunt *citt. Sanchez n. 33. & Tamburin. q. 9. n. 2.*

Præter has variæ Apostatarum pœnæ referuntur particularibus Constitutionibus & privilegiis variorum Ordinum Religiosorum: quorum Prælati ac Superioribus fere competit satis ampla potestas, apostatas & fugitivos suos persequendi; & ubicunque deprehensos, invocato, si opus est, brachii Secularis auxilio, capiendi, incarcerandi, aliisque modis & pœnis coercendi, ut præter alios monet Palao *cit. p. 16. n. 14.*

12. Irregularitatis, sive ab Ordine Apostasia est temeraria defectio seu transitus à statu Clericali ad conversationem Laicalem: sicut contingit, quando clericus relicto Ordine suo & dimisso habitu ac tonsurâ ad matrimonium, militiam, vel aliam vitam laicalem propriâ auctoritate transit, Hostiens. *in Summa n. 2. & Sylvester V. cit. q. 2. n. 5. Ubi*

13. Dubium est, an hujusmodi Apostasia ab iis tantum committatur, qui Ordinibus sacris, vel ab eo etiam, qui minoribus aut primâ solum Tonsura est initiatus. Ut initiatus sit sacro aliquo Ordine, cum Glossa *in c. Tua 3. V. Tolerandi*, exigunt Hostiens. Sylvester & Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 9. §. 3. n. 2.* Minores tantum, imò primam Tonsuram sufficere, existimant Soufay *Panoplia Cleric. Lib. 7. cap. 1. & Gonzalez in c. 1. num. 5.*

Mihi utriusque Opinioni aliquid tribuendum videtur; cum tales, postquam per primam Tonsuram in sortem Domini vocati sunt, ad laicalem conversationem transeuntes Apostatae in latiori sensu & minus propriè dici non incongruè possint. Nihilominus; quòd hujusmodi transitu & clericatus desertione crimen, saltem

grave, non committant, & non ab ipso statu perfectò jam assumpto, sed ab ejus tantum via recedant: eamque; ob causam ad clericatum redire non teneantur, aut cogi possint, veri Apostatae, & in hos constitutis pœnis obnoxii non sunt; dummodo beneficia Ecclesiastica, si quæ habent, dimittant, juxta *c. 1. & c. Joannes 7. de Cleric. conjug.* Ita cum S. Thoma 2. 2. q. 12. art. 1. Covarruvias *p. 2. de Sponsal. cap. 9. §. 3. n. 2.* Menoch. *de Arbitr. casu 546. n. 52. & Laiman Lib. 2. p. 1. cap. 1. num. 1.*

Ab Ordine Apostatarum propriè dictorum pœnæ sunt 14.

Primò, excommunicatio: quæ tamen, licet infligi valeat per sententiam, Panormit. *in c. 1. n. 3.* ipso tamen Jure & Factò à clerico in sacris constituto non incurritur, nisi matrimonium contrahere præsumat, *Clement. Unic. de Consang. & Affinit. Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 48. n. 1.*

15. Secundò, infamia, quæ tamen non Juris, sed Facti tantum est & per pœnitentiam tolli potest, Thesaurus *p. 2. de Pœnis Eccles. V. Apostasia cap. 4. n. 3. & Pirrhing ad hanc Rubric. n. 5.*

Tertiò, irregularitas, impropriè tamen dicta & orta ex infamia, quacumque pœnitentiam tollitur: nisi Apostata contrahat matrimonium: Hoc autem inito & consummato contrahit irregularitatem, ortam ex bigamia Similitudinaria, & tollendam per dispensationem, clerico pœnitenti & emendato etiam ab Episcopo concedendam, juxta dicta *Lib. 1. tit. 2 1. num. 17.*

16. Quartò, amissio privilegii Canonis, ut habitu & Tonsurâ clericali dimissis, eum percutiens excommunicationem *can. Si quis suadente 17. q. 4.* non incurrat: quod ex *c. 1.* desumunt Panormit. *n. 5. & Gonzalez n. 3.* saltem, si ab Episcopo ter monitus non

us non respiciat, *c. In audientia* 25. *de Sent. excommunicat.* Hactenus de Rubrica parte priori.

17. Nunc de posteriori, sive reiterantibus Baptisma: quò semel ritè collatò indelebilem characterem animæ imprimi, ejusque iterationem illicitam irritamque esse, ab Ecclesia sapius, & præsertim à Concilio Florentino in *Decreto Unionis* 6. *Quinto*, & novissimè à Tridentino *Sess. 7. can. 9. & Sess. 14. cap. 2. de Sacrament. in genere*, & *can. 11. de Baptismo* est definitum. Unde in ejus iterationem scienter & absolute (non ignoranter aut sub conditione, sicut fieri solet, quando de Baptismi valore dubitatur) attentatam, tanquam gravissimum Sacrilegii crimen, *can. Qui bis* 107. & *can. Cum itaque* 110. *dist. 4. de Consec.* utroque Jure & meritò severissimæ pœnæ sunt constitutæ. Et Imperiali quidem, tam rebaptizans quam rebaptizatus, ultimò supplicio afficiuntur, *l. 1. & l. Si quis* 2. *C. Ne sanctum baptisma iter.* Ecclesiasticò autem uterque contra-

hit irregularitatem, *can. Confrmandum* 59. *dist. 50. can. Afros* 3. *dist. 98. can. Qui in qualibet.* 1. q. 7. & *c. Ex literarum* 2. *hac Rubr. Navarrus Manual. cap. 27. n. 246.* & aliis DD. relatis Barbofa in *c. Ex literarum cit. n. 2.*

Eandem irregularitatem, saltem à superiorum Ordinum susceptione removens, etiam contrahit, qui rebaptizanti, ut Acolytus, Subdiaconus aut Diaconus ministrat, si ejus crimen publicum sit, *c. Ex literarum cit.* & Barbofa *n. 8.* In hac autem irregularitate solus Papa dispensat: uti & in priore, si delictum publicum sit. Si id sit occultum, irregularitatem relaxare etiam Episcopus potest, vigore Tridentini *Sess. 24. cap. 6. de Reform. Barbofa in c. cit. n. 7. & Palao Tract. 27. disp. 6. p. 16. n. 14.*

Demum iidem, si Clerici sint, deponendi, *can. Eos qui* 118. *de Consec. dist. 4.* laici verò excommunicandi sunt, ut cum Anchoran, & Panormit, in *c. Ex literarum cit. n. 2.* docet Thefaur, *cit. p. 2. V. Baptisma, n. 2.*



TITVLVS X.

De His, qui Filios occiderunt.

SUMMARIUM.

1. Ratio Ordinis.
2. Parricide, qui dicantur.
3. Pœna liberorum, parentes occidentium Civili,
4. Et Canonico jure prodita.
5. Patri liberorum interfectio olim permissa,

6. Postea vetita & subjecta est pœna Parricidii.
7. Pœna Canonica matris prolem occidentis,
8. Et opprimentis in lecto.

A Criminibus, quæ immediatè contra Deum eique debitum cultum sunt, transitus fit ad ea, quibus